



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XIX. De Beatis ex Ordine Præmonstratensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

CAPVT XIX.

De Beatis ex Ordine Præmonstratensi.

Venerabilis Adrianus Hiluaribecanus, cœnobij Middelburgensis in Zelandia Canonicus, anno 1572. Brillæ, pro Christo, laqueo suspensus est: & locum habet inter martyres Gorcomianos, quorum historiam passionis scripsit Guilielmus Estius, Doctor Theologus & Cancellarius Duacensis.

B. Arnoldus è Sualma, Pastor & Canonicus Niniuensis obiit an. 1221.

B. Didacus, frater Conuersus, vt vocant, natione Hispanus, in monasterio S. Leonardi, haut procul ab Alba, regni Castellæ opido: vbi hodieque corpus ipsius adseruatur, in dicto S. Leonardi cœnobio, quod nũc possidet monachi Hieronymiani.

B. Dominicus, primus Abbas monasterij Vitis B. Mariæ, in d. Vxamensi, fuit frater Alfonsi VII. Castellæ Regis, (quem Imperatorem nuncupant) illius loci fundatoris. Floruit an. 1168. & obiit non sine opinione sanctitatis.

V. Elco Liaucama, Lidlumenſis in Frisia Abbas XII. pro vindicanda Dei gloria & disciplina monastica instauranda, anno 1332. ab impijs occisus est.

B. E.

B. Elisabetha Arenistia, Horti Conclufi
Abbatiffa, intra muros Herentaliæ, quod est
Brabantia opidum.

B. Euermodus, S. Norberti socius, & ex Præ-
posito primo cœnobij B. Mariæ Magdebur-
genfis Epifcopus fecundus Raceburgenfis, &
Apostolus V Vandalorum, anno 1177. ex hac
vita ad meliorem abiit.

B. Garembertus, cœnobij Montis S. Mar-
tini, in diœcesi Caneraceni, fundator & pri-
mus Abbas, anno 1132. floruit.

B. Fredericus, Horti Mariani in Frisia
& d. Leouardienfi fundator, & pri-
mus Abbas, anno 1175. in terris viuere de-
fijt.

B. Godefridus, Comes Cappenbergensis
in VVestphalia, Cappenbergensis, Varlaren-
fis & Ilmftadienfis monasteriorum fundator,
fpreto sæculo monasticen amplexus, Cappé-
bergæ an. 1126. ad cælos euolauit.

Venerabilis Godefridus Comes Namur-
censis, in Floreffienfi monasterio à se condi-
to Conuerfus seu frater laicus, quiescit ante
altare summum ibidem.

Venerabilis Cundifaluus, frater Alfonfi
VIII. Castellę Regis; an. 1213. in monasterio S.
Michaelis apud Villam maiorem, diœcesis
Burgensis vicum, religiosam vitam profecflus
est.

B. Gertrudis, filia S. Elisabethæ, Landt-
grauia Haffiæ, & Abbatiffa Aldenber-
genfis,

gensis, in diœcesi Treuirensi, obiit anno 1297. ibidem honorificè condita.

B. Hugo, socius S. Norberti, eiusdem in cœnobij & ordinis vniuersi Præmonstratensis regimine successor, floruit an. 1242.

Venerabilis Iacobus Lacopijs, Canonicus cœnobij Middelburgensis in Zelandia, an. 1572. Brillæ, pro fide Catholica Romana, laqueo vitam finijt, cum V. Adriano Hilvaribecano & alijs martyribus Gorcomenitibus.

B. Iacobus, Viconiensis cœnobij, apud Valentianas Hannoniæ opidum, alumnus, ibidem in nouitiatu existēs, animam immaculatam Deo reddidit. Floruit an. 1279.

B. Ioseph, Presbyter & Canonicus Steinfeldiensis monasterij, in diœcesi Coloniensi, eximius Deiparæ cultor an. 1236. claruit.

B. Isfridus, Episcopus tertius Raceburgensis in Germania, obiit anno 1205.

B. Ludolfus, Episcopus nonus Raceburgensis & martyr pro ecclesiæ suæ libertate, floruit anno 1243.

B. Ludouicus, Comes & fundator Abbatia Arensteinianæ, in diœcesi Treuirensi, octavo Kalend. Nouemb. an. 1185. ibidem Conuersus viuere desijt. Vitam eius à cogtaneo scriptam Christophorus Brovverus Societatis Iesu

The

Theologus anno 1616. Moguntia cum Notis publicauit.

B. Macarius ex Rege Armenia Canonici Ordinis Præmonstratensis in Cypro insula, anno 1270. ibidem viuere desijt.

B. Milo, monasterij S. Iudoci in nemore Abbas, in diœcesi Ambianensi, post Episcopus Teruanensis seu Morinensis, an. 1158. ex hac vita decessit.

V. Rabodo, Parcensis monasterij extra muros Louanienses Canonicus.

B. Radigundis seu Vvedigundis, monialis instituti Præmonstratensis, in monasterio S. Michaelis apud Villam maiorem, in regno Castellæ & diœcesi Burgensi floruit, cuius hodieque corpus ibidem est in veneratione: vt per litteras nos monuit R. P. Michael Maldonatus, monasterij S. Norberti Præfectus in vrbe regia Madrito, & ord. Præmonstratensis Procurator generalis in Hispania. Fuit autem isto in loco duplex olim monasterium, vnum virorum, alterum virginum.

B. Radulphus Abbas Viconiësis, pauperum benefactor eximius, obiit an. 1217. nonagenarius.

B. Rainerus, cœnobij S. Mariani apud Autissiodorum, Gallia vrbem, pri-
mus

mus Abbas, an. 1146. hanc vitam cum meliore commutavit.

B. Richardus Anglicus, Canonicus Arensbergensis in Westphalia: de quo Cæsarius dist. 6. cap. 100. & Molanus 30. Dec.

B. Rosnata, Bohemicè Hroznata, ex Principe Bohemiæ, Canonicus ordinis Præmonstratensis, Teplensis & Chotieffoviensis monasteriorum, in diœcesi Pragensi, fundator, martyr occubuit.

B. Siardus, Horti Mariani in Frisia Abbas quintus, annis triginta sex in regimine laudabiliter exactis, an. 1230. ex hac vita ad æternam transijt.

De singulis plura vide in Chronici nostri Præmonstratensis Editione secunda, quæ est auctior.

CAPVT XX.

De Sanctis ac Beatis ex ordine Canonicorum Regularium.

um.

DE primorum sæculorum Sanctis toto orbe notis haut visum hic tractare, sed de illustribus aliquot posterioris ævi hominibus, qui Canonicos inter Regulares floruerunt, aut illud institutum amplexi sunt, quædam subiiciam.

De S.